
CAESARIS OTTINELLI FIRMANI

ORATIONES. DVAE





ROMAE, Apud Hæredes Antonij Bladij Impressores Camerales.

PRIMA de Iureconsultorum, eorumq; opinione, qui forum quamprimum adeundum censent, disputauit: consiliumq; coniungendæ philosophiæ cum iuris prudentia sustinuit, dum editas ex vniuersa philosophia sententias publicè defenderet, in AEde Beatæ Virginis MARIAE Annuntiatæ ad D. Mariæ supra Mineruam vij. id. Nouemb. Romæ. M. D. LXXIIII.

ALTERA Commendantur philosophiæ studia, quam repente admonitus ne Doctores grauissimis occupationibus impeditos diutius moraretur, non habuit, cùm acturus esset gratias pro doctoratus insignibus in nobilissimo Vrbis Gymnasio iij. id. Decemb. Romæ. M D LXXIIII.



I quis fortè adeſt diuitiarum cupiditate incenſus, qui me, quòd philoſophiam cum iuris ſcientia coniũxerim, imprudentię arguendũ exiſtimet; is, ſi inſtitutum meum, conſiliumq́. cognouerit, & merito me id feciſſe, & ingenuas diſciplinas habere quæſtui, turpiſsimũ eſſe iudicabit. Neque enim quempiam eſſe opinor artibus omnibus adeò excultum, qui nõ ſummis laudibus iuris prudentiam, qua hominum ſocietas cõſeruatur, atque aequabiliter continetur, omni contentione proſequatur. Intelligere tamen ſatis nõ poſſum quónam philoſophorum ſcelere factum ſit, ut nuſquam his temporibus non malè audiant. quaſi nihil aliud, quàm ditari uideatur ſapientis. Atque, ut conſilium meum pro exiguis ingenij uiribus ſuſtentem commodius, dicam quanti momenti ſit eorum ſapientia (ſi eſt errare aliquid ſapere) qui philoſophia Remp. honeſtè carere poſſe, nullamq́ue philoſophorum operam eſſe arbitrantur. Siue enim inquiunt, eſſe aſsiduè in ciuitate cõmunem propagare poteſt utilitatem; Thales Mileſius agros ſemper incoluit ſolitarius: ſiue arma iuuant Remp. Menedemus Megaram miſſus militiam deſeruit: ſiue opes; Democritus patrimonium effudit: ſiue de iure conſulentibus reſpondere; hoc nõ eſt philoſophi. Duo namque ſunt tempora, qui-

 bus

bus Reip. operam nauamus, pacis, & belli; horum primum est iurisconsultorum, qui lites diiudicant, caussas agunt, miseris subueniunt: alterum est militum, atque Imperatorum, quorum, si hostes propellant, pietas; si imperij fines proferant, uirtus cõmendatur. nullum igitur tempus? nullus ergo locus philosophis? Nam cũ leni, placidoque somno nobis consopitis bona diurno parta labore iuriscõsultorum auctoritate firma sint, cœlum cõuertatur, terra culta subsidia prębeat, quid afferre potest utilitatis cognoscere, quænam sint rerum principia, quot orbes, quæ categoriæ, interdum de caussis, & elementis, sæpius de artium, librorumque argumentis benè longas disputationes instituere? Quare philosophia nihil præter aerarium quoddã philosophorum falsis, atque obscuris opinionibus refertum esse constabit. Nihil certè tam notum, atque coniunctum omnibus, quàm locus, qui tantam dissentiendi materiam philosophis dedit, ut Aristotelicus ab Aristotele discreparit Philoponus. Alij uero complures, ut haberent, unde teruncijs aerarium augerent, quid esset ultimum continentis in controuersiam deduxerunt, non conficientes eiusmodi (ut uocant) sylogismum. Vltimum continentis est ratio, cur corpus cõtineat corpus, superficies est ea ratio, est itaque ultimum continentis, & locus. Ita sanè disputant, qui doctrinis quibusdã, quasi opibus addicti imperitè, ac inconsideratè philosophiæ utilitatem, auctoritatem, splẽ-

dorem

dorem adimere, frangere, delere conatur. Quis. n. iuris scientiam partem quandã, philosophiæ totius dignitate abiecta, illustrabit? Quis iuris prudentiã politicæ, politicã philosophiæ partẽ inficiabitur? Sed, ut temporis angustijs paream, non obijciam hoc tempore Solonem philosophum, aut Chrysippum legem definientem, quia neque iurisperitissimi alterum parentem optimum, alterum auctorem egregium obscurè agnoscunt; neque philosophorum laudes sunt hæ, quæ uno die, uel potius anno ab eloquẽtissimo nõ exornari, sed enumerari possint. Expetendam nõ modo fateor, uerum etiam profiteor iuris prudentiam, sed quæ philosophiæ iuncta, atque adeo eius pars quædam uix sola nomen retineat. Etenim, cùm ita ciuilibus, & gentium præceptis leges nitentur, ut naturalia imitentur; & cùm eiusdem sit aliorũ, & suum furorẽ cohibere; philosophia naturalis est, quæ bestiarum abditissimas naturas, impetus, appetitus explicat, ut quæ recta sunt æmulemur; animiq. præterea facultates ostendit, ut si quid peccent, facilius corrigamus. Quemadmodũ enim duo reip. tempora; ita hominis duæ sunt partes, corpus, & animus, quorum alterum si firmum natura alit, & perficit; si ægrum, aut languens, erigit, atque cõfirmat ars medicina, particula quædam philosophiæ naturalis: alterum cõtemplatur physica, cognitum informat ethica, ritè informatum œconomica, & politica adhibent, ornant mathematicę, alięq. disciplinæ li-

berales; ornatum propter quid sit, metaphysica docet. Quòd si hæ artes; quæ sordidæ appellãtur materiæ caussa quodam quasi uinculo ita connectuntur, ut altera ab altera seiungi non posit, quanto magis studia hęc nostra doctrinæ ratione mutuò cohærere debent? Quæ initio inuidiosè obijciebãtur, partim ego in actu tertio diluam; partim auctoritatis labefactandæ caussa obijci indicabit futurum (ut spero) certamen, ad quod Deo Opt. Max. auctore aggrediar.

Hac altera pars disputationem sequuta est.

Variè dissentire philosophos sceleris loco poni non minus augendæ, quàm illustrandæ philosophię dignitatis gratia potest. Nam si ea est mortalium conditio, ut nihil unquam, nisi multo sudore, ac labore assequantur, efficitur profectò, ut quò aliquid operosius absoluatur; eò sit præstantius, iucundius, admirabilius. Ac mihi quidem ea ars expetenda, plurisue facienda uidetur, quæ plus commodi, & uoluptatis afferat; philosophiam tantum olim emolumenti peperisse, quantum pręterea doctrinam nullam, docent regna Medorum, Persarũ, Græcorum liberæ ciuitates. Humana sunt ita quidem mobilia, ut uel non comprehendi, uel comprehensa uix teneri posint; philosophia tamẽ ubi aliqua, & rerum summa aliqua; ubi uero nulla fuit, tum demum copiæ exhaustæ, urbes deletæ, resp. distractæ, regna euersa, imperia ampla dirempta fuerunt.

runt. Siquidem non modo Anacharsidis, & Pyttaci familiaritate opes Crœsus diu conseruauit, uerumetiam Bias patriam liberam custodiuit. Quãobrem nullo modo tacitus præterire possum tam incredibilem humanitatem, tam singularem mansuetudinem, tam admirabilem facilitatẽ IACOBI SABELLI sacrosancti collegij primi pręsbyteri, litterarum acerrimi defensoris, luminis, ac ornamenti christianæ pietatis, qui generis uetustate, maiorumque fama & clarus, & insignis; auctoritate grauis; summa iam quæque assequutus ita benignè, humaniter, liberaliter, comiter hæc mea ex philosophia petita enunciata tuenda, fulcienda, exornanda suscepit, ut animi declarandi summam cupiditatem magnum tantæ benignitatis prædicãdæ desiderium subsequatur. Egregiam uero modestissimi, sapientissimique Præceptoris mei operam, industriam, studium, amorem, sollicitudinẽ collocatã in tradenda mihi philosophia neque laudibus satis efferre, neque studijs æque prosequi, neque beneuolentia pari complecti, neque beneficio unquam ullo me compensare posse sentio, atque profiteor. Multa sunt illius in me promerita cõmunia illa quidem cum meis æqualibus, & condiscipulis, sed ut hoc studium susciperẽ, dux unus, ne deponerem auctor unus, ut conficerem moderator fuit unus. Vobis denique Oratores illustrissimi, & sapientissimi, Præsulesque amplissimi quòd partim auctoritate, præsentiaque uestra me deco-

ratum; partim lenitate diſputationem ſubſtentatã; partim attentione philoſophiæ obtrectatorum dementem contentionem improbatam intellexerim, illud Marcelli in memoriam primum reuocabo. Impoſſibilium nullam eſſe obligationem. Deinde cùm nec re, neque uerbis uobis ſatisfieri res ipſa patiatur polliceor fore, ut nulla unquam ueſtrũ ſingulare beneficium deleat obliuio; ſed memoria cuſtodiam ſempiterna. Dixi.



I ullum unquam in hoc perexiguo anteactæ uitæ meæ curiculo diem lætiſsimum tuli, quo, aut utilitati quid, emoluměntoq. aut honori fuerit; aut ex ſententia quicpiam ſucceſſerit: hodierno die ea per uos philoſophorum Principes, ſum conſequutus, ut nunquam uel iucũdior, uel celebrior illuxiſſe uideatur. Nullum eſt enim humanum bonum fructuoſius, nullũ dulcius, nullum præſtabilius philoſophia, quę ſi animis medendum, ſi pellendi ſunt timores, ſi plena uitæ trãquillitas cara eſſe debet, à maioribus tradita nobis quidem retinenda, poſteris uero noſtris percipiẽda, ſtudioſeq. erit colenda. Nam etſi uſu, experientiaq. rebus ad uitæ uſus neceſſarijs abundare quotidie magis, diuturniq. deſiderij expectationẽ ut explere gratiſsimum; ſic dies, noctesq. exoptati boni memoria torqueri, onusq. neceſsitatis grauiſsimum eſſe percipimus: nihil tamen tanta rerum uiciſsitudine niſi firmum omnino, ac immortale mentẽ noſtram immortalem ſatietate afficere poſſe intelligimus. Docet enim idem optimus magiſter uſus quò quiſq. fortunę plerunq. (ſemper enim res ad uoluntatem fluere non poſſunt) muneribus ornetur amplioribus, nullamq. extremam calamitatem, aut incõmodum ſubſtineat; eò minus quia ueris, atq. integris commodis caret, conſiſtere,

expleri, ſatiari. Quocirca impleat rerũ Dominus, ac Moderator petitiones noſtras, qui ſatiauit animam inanem, & animam exuriẽtem ſatiauit bonis. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus noſtris. qui ſanat omnes infirmitates noſtras. qui redimit de interitu uitam noſtram. qui replet in bonis deſideriũ noſtrum. qui coronabit nos in miſericordia, & miſerationibus. Quòd ſi offenſione interdum, & faſtidio defeſſus quis paululum in miſerijs requieſcere, ac quodammodo ſomnum capere uideatur nullius certe rei ſtudio arctius, diutiusque tenebitur, quàm quòd eius, quę præſidio aliquo firmata ſtabilitatis, atque conſtantiæ habeat plurimum. Hinc uaria emanarunt hominum ſtudia, non modo eorũ, qui eruditionis prorſus ignari, uel turpi otio languerunt; uel uoluptatibus hominis præſtãtia indignis prorſus ſe ſe dederũt; uel quòd pecunia ſe poſſe omnia poſsidere exiſtimarint, dies, & noctes deſudarunt, ac elaborarũt, ut præruptis legibus, quibus hominum ſeruatur ſocietas, maiores cõgererent diuitias, plenioresq. euaderent: uerumetiã eorum, qui quoniam felicitatis, & glorię cupiditate incendebantur, & iuuandi deſiderio ardebant, non in deſidiam, non in pecunias, non in uoluptates, totq. flagitia ingurgitarũt, ſed omne tempus in doctrina, & ſapientia abſtinenter, aſsiduéq. cõſumpſerunt. Etenim Hieronymus tum demũ proſperè ſecum agi affirmabat, cùm dolore careret: felicem ſe Carneades prædicabat; si primis naturæ

bonis

bonis frueretur: Ariſtippus,& Epicurus in uolupta te poſitum ſummum bonum, idq́. ſensibus iudicari cenſebant: Zeno bonum simpliciter fecit honeſtum; cui Clitómachus, & Calipho uoluptatem, Diodorus adiungebat indolétiam: Academici denique,& Peripatetici tria bonorum genera conſtituebant. Vno tamen conſenſu ſapientem,quia dolore uacat, honeſtate omnia metitur, uoluptate, & bonis tum primis, tum animi, ac ceteris utitur, felicem, beatum, fortunatumq́. omnes, & alias ſępè conclamarunt, & maxime ubi occasio dabatur, cõ probarunt. Interrogatus olim Chilo lacedęmonius, quo differrent ſapientes ab insipientibus,bona reſpondiſſe fertur ſpe: quasi aliquid ſperare nõ poſſent ſtulti, in quo imaginem qualemcunque, & boni simulacrum cernerent. Efferre ſummopere ſolebat quoq́. Ariſtotiles parentes, qui filios erudiendos curarent, ut ſcirent qua ratione ad pacatam, tranquillamq́. uitam adiumenta ſibi compararent. Philoſophia enim priſcos ad diuinum cultũ excitauit, poſteriores ad hominum ius inſtituit, nos ad modeſtiam, animi magnitudinem, uitamq́. ab omni timore, formidineq́ue, quę ex rerum exiſtit inſcitia, alienam traducendam erudire poteſt. Atque cùm multa à ueteribus illis philoſophis, & ad rerum cauſas indagandas, explicandasq́.; & ad mores conformandos excogitata diuinitus ſunt; tum nihil mea quidem ſententia prçclarius, quàm quòd à ſapientia id commodi, id ſolatij, id boni,

quòd

quod uita hominibus afferre poteſt, proficiſci tradiderunt; ut cupiditatum ardorem reſtinquendo, naturę obſcuritatem intelligẽdo philoſophi nullis moleſtijs tabeſcerent, nihil aliunde expectarent, nullo metu frangerentur, ſed animo quieti, ſibiq. ipsi placati ſumma in trãquillitate uiuerent. Quod enim consilium arbitramur fuiſſe Solonis, Cleoboli, Pythagorę, cũ AEgyptios philoſophię peritiſſimos adiuerunt? nisi ut ſapientiã adepti aliquando ſtabili quiete, atq. conſtanti ęquabilitate potirentur. nihil hos pericula retardarũt, nihil itineris diffi cultates abſtraxerũt, nihil anguſtię auocarunt, nihil externarũ nationum, quasi quædam immanitas, & mores terruerunt: multa ſuſtinuerũt ſapientię amore, ut humana incommoda, commodorum compẽſatione perpetua lenirent. Ac si quis ſecum accuratius meditetur, eaq. diſperſa ante oculos proponat, quæ diuturna, potioraq. habentur, pręter philoſophiam, qua nobis cum Deo quædam eſt similitudo, nihil tam firmum eſſe, quod temporis conditione iniqua uehementer perculſum concidat, aut opprimatur interdũ, audacter cum Platone exiſtimabit. Idem cùm accipiat Syracuſanum Dionysiũ, cùm quidam Heraclidem, & Calippum in coniurationis ſuſpicionem uocare ſtuderent, dixiſſe uita ſe malle, quàm Heraclide, aut Calippo carere; nõ dubitabit, quin philoſophia neglecta nec Reſp. nec ciuitas, nec mœnia ipſa consiſtere poſsint. Premebatur grauiter crudeli dominatu à triginta Tyrãnis Atheni-

Athenienſium urbs; Traſybulus fuiſſe dicitur, qui libertate donauit. Miſerè Agrigentum Phalaris oppreſſum ſeruitute tenebat; Zeno, cui omnia in patria erant ſecunda, miſericordia cõmotus acceſſit, equuleoque, quòd adoleſcentes ad patriȩ ſalutem excitaret, atq. inflammaret, dum torqueretur; non miſero eiulatu, non ſupplicibus uerbis; ſed uehementi, ac incredibili cohortatione tyrannidem deleuit. Sed non modo uniuerſis, uerumetiã ſingulis profuit philoſophia, cuius magna ſunt munera, unde multa emergunt, plurima expectari poſſunt. Quid enim dolorem leuare, animum confirmare, lȩtitiã furentem comprimere; quid ſibi conſtare, uniuerſim commendari, admirationem mouere; quid uaria, ac multiplici rerum contemplatione animum noſtrum rudem, ac imperitum capere, eruditum alere, educatum ornare, & recreare poteſt, niſi philoſophia? cuius ſtudio ita olim tenebatur Syracuſanus Archimedes, ut fuerit maximè philoſophatus inter arma, quorum ſtrepitu, ac fremitu conticeſcant, ſileant, iaceant neceſſe eſt ceteræ artes. Diuitiæ deinde, copiæ, fortunæ ſunt nobis quidem uſui, ut cibo, & potu alere, ſomno, & quiete reficere, meliusq. frigus, & calorem ferre poſsimus; ſed quia mortalium excitantur manibus caducam, fragilem, incertam, falſam conditionem ſortiantur, oportet. At philoſophia non hominum opera, ſed Dei Opt. Max. immenſa clementia inuenta, eſt nobis conceſſa, ut omnium rerum

rum opificem, auctorem, conditorem infinita potestate, incredibiliq. bonitate omni tẽpore agnoscamus, atque uereamur; ut innumeris acerbitatibus ob peccati cõtagionem uitam nostram perpetuò afflictam erigamus quoquomodo, perditamq. recreemus. Ad agnitionem hominum uirtus illorum, & dedit hominibus scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis. Bene itaque, ac sapienter à sapientissimo rege Ptolomęo bibliothecæ inscriptum ANIMI MEDICAMENTVM. Præclarè etiam, atque prudenter Asty ciuitas amplissima, & ornatissima Græcorum, qui Aegyptiorum instituta diligenter æmulabantur, tribus ordinibus constabat, ut quemadmodũ apud Aegyptios sacerdotes philosophia egregiè eruditi, ita apud hos obtinebãt summum honòris gradum, qui in litterarum studijs omnem operam collocarent, in his præsertim litteris, quibus rerum, & naturæ infinitatem, atque in hoc ipso mundo cœlum, terras, maria cognoscerent: proximè apud illos æquè, & hos ualebant auctoritate, qui agris colẽdis, rebusq. familiaribus rectè constituendis occupati milites, qui patriam conseruarent, adiuuarent, augerent, suppeditabant: demum qui uarijs artibus remp. societatem, cœtumq. hominum sustentarent, ij pręsertim, qui mercaturam exercerent. Quare iurè communi quodam consensu benefactorum, beneq. dictorum parens, inuentum, & donum Deorum appellabatur philosophia. Pro quo summo beneficio

iustissi-

iustissimas grátias agere ne mortalium quidé eloquentissimũ posse, Lucretius philosophus, & poeta non ignobilis ostendit.

Nam, si, ut ipsa petit maiestas cognita rerum
Dicendũ est, Deus ille fuit, Deus inclyte Mémi,
Qui princeps uitæ rationem inuenit eam, quæ
Nunc appellatur sapientia, quique per artem
Fluctibus è tantis uitam, tantisq. tenebris
In tam tanquillo, & tam clara luce locauit.

Hæc, hęc Aristippum naufragio denudatum pertexuit; Xenocratem in libertatem uindicauit: hæc Biantem oppressa, captaq. patria fugam arripienté fidelissimè est comitata; integra omnia Stilponi reddidit, ad quem, ut summa prudentia, multa etiã doctrina uirum cognoscerent, ex officinis fiebant concursus: hæc Bruto morbo tabescenti; Socrati Atheniensium furore quodam, ac scelere ad mortem eunti discessum è uita non mediocri iucunditate aspersit. O bonarum artium matrem philosophiam, quæ non uitæ modo tranquillitatem largitur; uerumetiam timorem mortis adimit: quæ non solũ secundis (ut inquit Aristoteles) rebus est ornamentum; sed etiam aduersis refugium: quæ honores, opes, copias, si quę sunt, non tuetur, atq. ornat tantum; sed & parit, & auget. Physicus erat Strato Lampsacenus; credi tamen uix potest, ad quas pecunias peruenerit, quo in honore fuerit apud Ptolomæum Philadelphum, qui octoginta talenta ei dedit, quæ erat pecunia illis téporibus maxima,

ut sine

ut sine philoſophia nequidquam caducum diuturnum, iucundum, expetendum exiſtere poſſe uideatur. Hęc, aliaq. quamplurima, philoſophorũ Principes, memoria ſæpius repetenti, cùm in mentem ueniebat nõ eum me eſſe, cui philoſophi dignitas, quaſi debita merces deferẽda uideretur, uix exiſtimabam fore, ut hodiernum honorem reportarem; neque mihi perſuadebam unquam tantam dicendi copiam, facultatemq. reperiri, aut excogitari poſſe, qua uobis maximas gratias agerem; ut tanta rei magnitudine examinatus eiuſmodi prouinciam nõ ſuſceperim modo, ſed ne capeſſendam quidem putarim. Sunt enim hæc uerę auctoritatis, glorię, celebritatis, ſplendoris inſignia. Quamobrem quibus uerbis officium hoc tempore meum retineam, uobisque me tantum debere ſignificem, quantum oſtendi non poſsit, latere me penitus, atque prę-

terire non infitior. Ceterùm non committã,
ut ſi uſu eueniet, partes meæ requiran-
tur, daboq. operam, quàm potero
diligẽter, ut in dies ſingulos
in hoc amplisſimo digni
tatis gradu collocã-
dum magis iu-
dicetis.